

einen tüchtigen Richter und kurz einen Patrioten im besten Sinne des Worts an ihm verloren. Sit illi terra levis!

Arnsberg, 1. März 1847.

J. S. Seibertz.

2. Constitutionen einer Mainzer Synode aus der Zeit des Erzbischofs Werner von Eppenstein (1259—1284).

Aus einer alten Handschrift des Stiftes Bussdorf zu Paderborn.\*)

Ad manutenendam ecclesiarum immunitatem, ad conservandum jus et honorem cleri et ecclesiasticae libertatis, nec non contra usurarios manifestos, questuarios maledictos, ac indulgentiarum nimietatem, a praedecessoribus nostris diversis diversa emanaverunt pro tempore statuta, de suorum duntaxat consilio praelatorum, et licet plura ex illis sint de verbo ad verbum per sedem apostolicam confirmata, ea tamen approbatione sacri concilii duximus innovanda, ut in noticiam sollempniorem per haec deviant, ac eo libentius observentur a singulis, quo communiori judicio fuerint approbata. Statuit itaque primum recolenda memoriae patruus noster dominus S. Archiepiscopus<sup>1)</sup> in hunc modum, quod et Innocentius confirmavit.

Cum indignum sit valde illos vel in se vel in suis per ecclesiam promoveri, qui honoris cleri et

\*) Es ist dieselbe Handschrift, welche schon im 4. B. d. Zeitschrift S. 115. erwähnt wurde.

<sup>1)</sup> Erzbischof Gisfrid III. von Eppenstein, 1230—1249.

ecclesiasticae libertatis subversores existunt, hoc duximus statuendum, ut nullus de filiis eorum qui clericos captivaverunt, vel ad hoc opem vel operam impenderunt, aut in suis domiciliis detinuerunt captivos, ad ordines, beneficia, praelaturas et dignitates aliquatenus admittantur, imo ex delicto parentum ipso facto reddantur inhabiles ad hujusmodi consequenda, sub poena excommunicationis jam latae sententiae mandantes examinatoribus clericorum, Capitulis, patronis et archidiaconis, ut nullum ex talibus ad ordines admittant, capitula nullum ex eis ad praebendam eligant, patroni nullum ex ipsis praesentent, episcopi, archidiaconi tales non investiant ullo modo. Aliaquin capitula et patroni ipso facto jus suum amittant, et ad loci episcopum devolvatur, examinatores vero et archidiaconi aliquem ex talibus scienter ad ordines et beneficia admittentes, ipso facto sententiam excommunicationis incurvant, et alias per ordinarium gravissime puniantur. Quod et nos de filiabus praemissorum sub poena simili duximus statuendum, videlicet quod filiae ipsorum in claustris et cenobiis ordinis eujuscunque nullatenus admittantur.

Statuit et alia circa haec bonae memoriae G. Archiepiscopus<sup>2)</sup> antecessor noster, quae sanctissimus pater noster Alexander de verbo ad verbum noscitur confirmasse sub hac forma.

Alexander episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis capitulo et clero civitatis et dyocesis Moguntinae, Salutem et apostolicam benedictionem. Hiis quae ab ecclesiarum praelatis pro ipsarum uti-

<sup>2)</sup> Erzbischof Gerhard I., ein geborener Wülbgraf, 1251—1259.

Quelle: Westfälische Zeitschrift 10, 1847 / Internet-Portal "Westfälische Geschichte"

URL: <http://www.westfaelische-zeitschrift.lwl.org>

litteris et defensione libertatis ecclesiasticae provide statuuntur, digne adicimus apostolici muniminis firmatatem, ut intemerata consistant, cum nostro fuerint praesidio communia. Significasti nobis siquidem, quod bonae memoriae G. Archiepiscopus Moguntinus, attendens quod per statuta, quae bonae memoriae S. Archiepiscopus Moguntinus praedecessor suus auctoritate apostolica ediderat, contra illos qui praelatos et clericos Moguntinae civitatis et dyocesis ausu sacrilego capere ac detinere captivos contra libertatem ecclesiasticam praesumebant, non fuerat eorum maliciis sufficienter obviatum, ac volens contra tantae iniquitatis malum salubriter providere, diligent meditatione praehabita, de sui capituli nec non archidiaconorum aliorumque praelatorum ejusdem civitatis et dyocesis consilio et assensu statuit et ordinavit, ut in terminis archidiaconatus illius, ubi praelatum vel religiosum aliquem seu clericum in sacris ordinibus constitutum et pro clero se gerentem capi seu detineri constiterit, eo ipso cessetur ab officiis divinorum. Statuit insuper et etiam ordinavit, ut in omnibus locis, in quibus clericorum captivatores et eorum complices, qui eis in hujusmodi maleficio consilium vel auxilium praestiterint, domicilium seu juridicionem de facto vel de jure obtinent, in illis locis ubi tales receptaculum habent, infra easdem civitates et dyoceses observetur districtissime ecclesiasticum interdictum, ita videlicet ut corpora mortuorum ad sepulturam ecclesiasticam nullatenus admittantur, et si forte in ecclesiis sive cimiteriis per ausum laycalis hujusmodi corpora tumulata fuerint, in eis praefatum interdictum, nisi ejectis prius exinde dictis corporibus, nullatenus relaxetur. Alia etiam statuta salubria et honesta contra praesumptio-

res eosdem in favorem ejusdem libertatis ecclesiasticae edidit supradictus archiepiscopus, prout in eisdem litteris confectis exinde plenius continetur. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati, quod super hoc ab eodem archiepiscopo provide factum est, ratum et gratum habentes, illud auctoritate apostolica confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus, tenorem litterarum ipsarum de verbo ad verbum praesentibus inseri facientes.

In nomine Domini Amen. Gerhardus Dei gratia sanctae Moguntinae sedis archiepiscopus, sacri imperii per Germaniam archicancellarius, universis per Moguntinam dyocesin constitutis, Salutem in Domino. Cum per illud statutum quod dominus Siffridus piae memoriae praedecessor noster olim contra captivatores clericorum edidit, auctoritate sedis apostolicae super hoc statuendo specialiter sibi data, non sit adhuc sufficienter provisum, alias quoque praelati et clerici nostre dyocesis a nonnullis perditionis filiis multipliciter aggraventur contra ecclesiasticam libertatem, quia nova contra novos morbos oportet antidota praeparari, multa deliberatione praehabita, de consensu et assensu archidiaconorum, praelatorum et capituli nostri statuimus, et jam nunc in quoslibet transgressores excommunicationis sententiam promulgamus, ut non solum in terminis archidiaconatus illius in quo praelatum vel religiosum aliquem seu clericum habentem sacros ordines et pro clero se gerentem temere captivari, sed et in terminis archidiaconatus illius in quo captivati quempiam talium detineri constiterit, ipso facto cessetur ab officiis divinorum, ut sic tam nobiles quam magnates et etiam populares cum plebe contra malefactores hujusmodi ex divinorum carentia provocati consurgant, ad libe-

rationem illius, qui ausu sacrilego detinetur captivus, auxilium praestituri. Specialiter autem in omnibus illis locis, in quibus captivatores et eorum complices nostrae dyocesis, in maleficio illo consilium ipsis et auxilium vel juvamen praestantes, domicilium obtineant et sive de facto sive de jure juridicionem exercent, aut ubi habent receptaculum, observetur districtissime interdictum, ita videlicet quod corpora mortuorum ad ecclesiasticam sepulturam nullatenus admittantur, quin imo si per violentiam laicalem in ecclesiis vel cimiteriis fuerint tumulata, ibi non relaxetur aliquo modo sententia interdicti, nisi prius ejectis illis corporibus sic per laicalem violentiam tumulatis durante hujusmodi interdicto. Sacerdotes aliud facere non praesumant, nisi quod in diebus dominicis, proposito suis pleibus verbo Dei, pronunciatis quoque festivis diebus quae in illa septimana occurrent, eos aqua benedicta aspergant, nullum omnino dicant officium in aperto. Semel in ebdomada, absque signis campanarum, clausis hostiis, cum suo tantum ministro pro conficiendo viatico sub silentio missam dicant, praefatum interdictum juxta modum et formam praescriptam reverenter et humiliter servaturi. Archidiaconi quoque et eorum officiales in aliis nostrae dyocesis requisiti, praedictos sacrilegos a subditis suis excommunicatos denunciari faciant publice singulis diebus dominicis et festivis, donec captivatus liber et indemnis cum satisfactione debita dimittatur. Ad haec quod praelati tam regulares quam seculares et alii clerici passim trahuntur contra ecclesiasticam libertatem ad judicium seculare, cum penitus sit absurdum, Statuimus ut actor qui maliciose talem intraverit actionem, etiam coram ecclesiastico postmodum conquerens judice nullatenus

audiatur, et nichilominus si compertum fuerit eum  
 de ecclesiastica persona calumpniosa hujusmodi mo-  
 visse querelam, ipse et judex qui ea recepta citatio-  
 nem emisit, excommunicationis sententia constrain-  
 gantur usque ad satisfactionem condignam arcus  
 evitandi. Praeterea quia quidam a personis eccl-  
 esasticis, contra libertatem eorum et approbatam con-  
 suetudinem ex antiquis obtentam temporibus, ab eis  
 pedagia et thelonia interdum extorquent injuste,  
 tales ad abstinendum ab hujusmodi eorum angariis  
 et ad restituenda sic extorta per ordinarios suos  
 monitione praemissa per ecclesiasticam cogentur  
 censuram. Item licet contra spoliatores religiosorum  
 et clericorum ceteris remediis in Moguntino concilio  
 sit provisum, propter maliciam tamen hominum ex-  
 crescentem, Statuimus ut quicunque nobiles ad tor-  
 neamenta seu ad proelia processuri, ad colligendum  
 viros et complices suos, jacuerint in Grangiis mona-  
 chorum cujuscunque ordinis, aut allodiis vel posses-  
 sionibus ecclesiarum seu cleri, et fecerint ibi dampna,  
 nisi per ordinarios et eorum officiales commoniti,  
 de dampnis et injuriis irrogatis laesis satisfaciant  
 infra mensem, iidem judices certificati per juramen-  
 tum trium ad minus quorum interest legalium per-  
 sonarum de injuria et offensa notoria, excommuni-  
 cent ipsos et denuncient omnibus arcus evitandos,  
 omnia quoque loca in quibus habent domicilia vel  
 receptacula malefactores hujusmodi subiciantur ec-  
 clesiastico interdicto, usque condigne fuerit satisfa-  
 ctum. Praeterea statuimus, ut si qui religiosos aut  
 ecclesiasticas qualescunque personas angariaverint  
 ad praestandum eurus suos victualibus oneratos  
 ituros ad expeditiones et bella, seu ad operas ipsas  
 angariaverint et oneraverint macilentis equis in eo-

rum grangiis et possessionibus super expensis ecclesiae impugnandis, per ecclesiasticam similiter compescantur censuram. Excommunicamus et anathematizamus omnes qui dicatas Deo ecclesias ausu sacrilego prophanantes faciunt de ipsis munitiones, et ad firmandum eas perfodiunt cimiteria ossibus mortuorum ejectis, omnes quoque adhibentes opem vel operam, consilium vel juvamen, decernimus excommunicationis sententiae subjacere. Ecclesias etiam taliter prophanatas, et nichilominus omnia illa loca in quibus auctores, aut opem, consilium et operam vel juvamen praestantes habent domicilia seu receptacula, subicimus exnunc ecclesiastico interdicto. In graviorem etiam poenam talium, subtrahantur eorum familiae sepultura et ecclesiastica sacramenta, donec cum debita satisfactione munitio destruatur. Ad detestandam etiam illam detestabilem corruptelam quorundam patronorum ecclesiarum, qui rectoribus earum defunctis, spoliant dotem et ecclesiam omnibus rebus mobilibus et interdiu immobilibus, in salutis propriae dispendium et scandalum plurimorum, statuimus ut sive clericus sive laicus hoc facere praesumpserit, sit a jure praesentandi ea vice suspensus, et loci archidiaconus vel superior, si ipse negligens fuerit, ecclesiam conferat, uterque autem clericus seu laicus excommunicetur et arcius evitetur, donec cum debita satisfactione restituat sic ablata. Quicunque autem defuncto episcopo relicta ab eo, aut sede vacante bona ecclesiae occupaverit, ipso facto quam nunc excommunicationis sententiam in talem ferimus incurrat, quam successor inviolabiliter faciens observari nullatenus relaxet, sine restitutione et satisfactione condigna de sui capituli consilio et assensu. Ceterum tamen nonnulli advocati ecclesia-

rum spe defensionis earum in advocatos ea condione assumpti, quod certis stipendiis et servitiis spontanee deputatis eisdem, ipsarum ecclesiarum jura, possessiones et homines defendere deberent, facti sunt ex defensoribus offensores, eo quod tam immoderatis exactionibus et servitiis angariant homines, quod non possunt propriis dominis exsolvere debitos census suos, alias quoque illicite dividentes advocatias in partes inferioribus suis, eas in grave ipsarum ecclesiarum dispendium inpheodare praesumant, quia privilegium meretur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate, Statuimus quod sponte assignatis primo sibi stipendiis et servitiis sint contenti, prout coram imperio est obtentum, sententia principum approbante, alias quoque ecclesiarum jura, possessiones et homines defendant et protegant ut tenentur, nichil potestatis vel juris in earum urbibus, possessionibus et hominibus usurpantes, redintegrent advocatias, quas in partes dilacerasse et inferioribus suis inpheodasse noscuntur, pheodatarii autem eas taliter occupatas dimittant, quod si non fecerint infra mensem moniti per ordinarios vel alios superiores suos, idem advocatus et suus pheodatarius ad id faciendum per excommunicationis et interdicti sententias compellantur. Demum statuimus, ut si quis ecclesiarum vel clericorum bona sive homines temere invaserit, spoliis, incendiis et rapinis, vel tollendo pignora occasione cujusque etiam questionis, quam contra alieujus ecclesiae advocatione se proponit habere, secundum statuta Moguntini concilii contra hujusmodi temerarios invasores edita puniatur. Datum Moguntiae II. Kal. Maji, anno Domini M<sup>o</sup>.CC<sup>o</sup>.LVIII<sup>o</sup>.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis infringere vel ei ausu temerario con-

traire. Si quis autem hoc attemptare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Anagniae, V. Idus Januarii, pontificatus nostri anno sexto.

Nos igitur statuta ipsa non solum auctoritate sacri concilii hujus approbamus, verum etiam hoc duximus annectendum, firmiter statuentes, quod si temerarii captivatores clericorum aliquos in familia sua habuerint clericos, utpote capellanos, consiliarios et scriptores, iidem statim se abstrahant a communione eorum non solum in divinis, sed et in mensa ac aliis quibus excommunicato cuilibet communicatur illicite. Idem vero consiliis eorum non intersint, nisi forte tractatum haberent cum eis de procuranda liberatione eorum, quam si infra duos menses procurare non poterunt, sub poena excommunicationis jam latae sententiae praecipimus, quod extunc non solum a consilio et scribendo se abstineant, sed ab eis omnino recedant, quam si iidem clerici per unum mensem sustinuerint, extunc periculum beneficiorum suorum incurvant, ita quod ipsorum beneficia aliis conferri valeant, nec non inhabiles ad alia capienda ex tali mora reddantur. Ad haec advocatos qui patrocinium vel defensionem assumpserint quorumlibet clerici detentorum, ac eos qui occultum eis etiam dederint consilium et auxilium, vel literas excusationis dictaverint, quibus a liberatione clerici seu a refusione dampnorum et a satisfactione ecclesiae se quoicumque de facto valeat excusare, nisi prius clericum dimiserit, ablata restituerit, ecclesiae satisfecerit de offensa, excommunicationis sententia innodamus. Statuimus etiam, ut nullus manusidelis, amicus vel aliquis habens pote-

statem rerum clerici captivati, permittat vet det ali-  
eui pro liberatione ipsius, vel de dando interponat  
per se vel per alios aliquam cautionem. Quod si  
contra statutum hujusmodi concilii quisquam in casu  
tali inventus fuerit aliquid dedito aut etiam permi-  
ssisse in tanto dycesiano pene nomine teneatur. (*Sic.*)  
Adicientes, quod si detentor clerici per mensem  
unum clericum detinuerit captivatum, aut eo dimisso  
infra annum a tempore captivitatis clerici compu-  
tandum, satisfactione neglecta, non obtinuerit se  
absolvi, extunc ab omnibus pheodis cadat jure, quae  
a quibusque ecclesiis noscitur obtinere. Haec omnia  
circa captivatores episcoporum multo fortius volumus  
observari, eo adjecto, quod episcopo captivato, cle-  
rici de familia captivatoris statim recedere teneantur,  
quod quia captivatores tales ipso facto non solum a  
jure cadant perpetuo pheodorum, quae captivitatis  
tempore a quibuscumque ecclesiis obtinebant, verum  
etiam ipso jure cum omni sua posteritate fiant inha-  
biles in aeternum ad pheoda quaelibet a quibuscum-  
que ecclesiis consequenda, ac bona eorum quae  
habebant captivitatis tempore, proprietati ecclesiarum  
applicentur, ac hii qui pheoda eis duxerint conce-  
denda, ipso facto excommunicationis sententiam in-  
currant, quod si proximi domini pheodorum pheoda  
illa, a quibus in causis praemissis episcoporum et  
clericorum captivatores ceciderint, infra unum men-  
sem vel aliis concedere, vel ad se neglexerint effi-  
caciter revocare, extunc ipsorum pheodorum collatio  
ad superiorem proximum divolvatur. Idem de occi-  
soribus clericorum et vulneratoribus volumus obser-  
vari et multo fortius.

Statuit et haec idem dominus G., ut in usurarios  
omnes cunctis diebus dominicis et festivis per loco-

rum plebanos et eorum vicarios auctoritate nostra  
 excommunicationis sententia publice proferatur, ita  
 quod qui publice exercent usuras, aut qui coram  
 ecclesia de usura convicti fuerint vel confessi, aut  
 qui per juratos villarum pro usurariis sint publice  
 proclamati, excommunicentur sollempniter nominati-  
 tim, qui vero de usurae vicio sola sunt suspicione  
 notabiles, nisi datis super hoc sibi a praelatis, ple-  
 banis seu vicariis terminis, se ab hujusmodi objectis  
 legitime coram ecclesia expurgaverint, et debitores  
 usurarum et fidejussores datos forsitan super eis ab-  
 solverint, simpliciter et publice ab usuris excommu-  
 nicentur similiter nominatim, cum illis qui solvunt  
 eis usuras nec accusant eos, post commonitionem  
 factam ad eosdem infra mensem. Ab usurariis autem  
 manifestis juxta Lateranense concilium nullus om-  
 nino oblationes accipiat, nec ad communionem ad-  
 mittantur altaris, nec si in hoc peccato decesserint  
 recipientur ad ecclesiasticam sepulturam. Qui autem  
 contra praemissa fecerit, ea quae recepit restituere  
 compellatur, et donec secundum arbitrium nostrum  
 satisfecerit, ab officii sui maneat executione suspen-  
 sus. Tales autem, si sani resipiscere curaverint a  
 peccato, demum post restitutionem omnium quae  
 male extorserunt per usurariam pravitatem, si ad  
 restitutionem ipso satisfecerint competenter, vel si  
 in totum solvendo non fuerint prius restituta, ea ad  
 quam sufficiunt portione, et de reddendo residuo  
 fortunae tempore pinguioris, eis vel eorum si extant  
 heredibus, a quibus extorserint usuras, alioquin  
 pauperibus seu piis locis juxta ordinationem judicium  
 sedis Moguntinae aut archidiaconorum, de satisfa-  
 ciendo ecclesiae ydonea praestita cautione, ab eis-  
 dem judicibus aut archidiaconis absolutionis bene-

ficium consequantur. Nos enim solis eis absolutio-  
nem talium duximus committendam, ne per quo-  
rundam sacerdotum simplicitatem et maliciam ali-  
orum, qui circa hujusmodi restitutionem proprium  
questum quaerunt, non salutem animarum vel com-  
modum proximorum, quibus est merito restitutio  
facienda, aliquid incongruum statuatur circa usura-  
rios supradictos. Quod si usurarii jam dicti spe  
finalis poenitentiae et absolutionis extremae claves  
ecclesiae sani contempserint et temere sustinuerint  
anathema, seque in extremis absolvi petierint, juxta  
provisionem Fritzlariensis concilii non statim sub pro-  
prio juramento eis erit absolutio impendenda, nisi  
prius cuncta male extorta restituant, dummodo tantum  
in bonis mobilibus vel immobilibus habeant, quod  
restituere valeant universa, vel saltem tantum refundant  
in quantum se facultates ipsorum extendunt, et de reli-  
quo refundendo et satisfaciendo sanitatem et copiam rerum  
nacta dederint fidejussores ydoneos, consanguineos  
et affines, quod si fidejussores tales non extiterint,  
et in eis apparuerint verae poenitentiae signa, re-  
cepto sub forma praescripta juramento proprio, ad-  
mittantur ad poenitentiae et eucharistiae sacramen-  
tum, sed in poenam pro tam diurno contemptu  
clavium ecclesiae, ad terrorem aliorum, negetur eis  
extrema unctio et ecclesiastica sepultura, nisi forte  
suadente causa legitima hoc a nobis ex gratia conti-  
gerit indulgeri, ad quae etiam duo ultima prose-  
quenda non sufficient proprium juramentum et poen-  
itentiae signa praemissa, cum pater et mater male  
acquisita restituere sint parati, sed forsitan filii con-  
tradicunt vel pro parentibus nolunt praemissas ex-  
ponere cautiones, vel cum uxor pro marito, vel  
contra maritus pro uxore similia facere detractarit,

adientes quod si usurarii manifesti per mensem unum temere in excommunicatione duraverint, extunc usurarii uxoribus ac filiis et propriis eorum mancipiis divina et sacramenta ecclesiastica subtrahantur, baptizate parvolorum excepto et poenitentia morientium, servientibus aliis et ancillis conducticiis et colonis eorum excommunicationis gladio feriendis. Praeterea cum delictum privilegium non habeat, et delinquentem poena non dignitas merito comitetur, Statuimus ut quilibet sive miles sive ministerialis noster existat, seu ex quoque privilegio fori prae-scriptione praefulserit, super usuris, cessante in hoc crimine omni privilegio, sub nostris judicibus valeat conveniri, cum privilegium mereatur amittere, qui sui honoris et fori tam viliter abutitur dignitate. Nichilominus et haec circa captivatores, spoliatoresque clericorum et ecclesiarum, si ministeriales sint vel alias gaudeant privilegio, et circa fidejussores datos ab usurariis volumus observari, videlicet quod per nostros judices valeant de talibus insolentiis coartari.

Quamvis ecclesia tolleret, quod de conniventia proprii sacerdotis subditi plebanorum pro maturiori consilio capescendo religiosis quibusdam confiteantur interdum, volumus tamen, imo sacri concilii auctoritate sub poena excommunicationis jam latae vetamus omnibus religiosis, ne subditos plebanorum, maxime autem Bakinas et Bicornas et inclusas ac alias personas hujusmodi communicent corpore Domini, aut alia porrigant ecclesiastica sacramenta, parvulis vel adultis. Haec etiam sub eadem poena religiosis omnibus firmiter inhibentes, ut cum processiones et stationes sollempnes, quas observat ecclesia generalis ex institutione ecclesiae et magnae auctoritatis, et multae opitulationis existant, utpote

in quibus Dominus honoratur votis communibus et placatur, ne populum abstrahant ab eisdem, prædicationes tunc temporis instaurando, imo in prædicationibus suis sedulo proponant eisdem, quod tenetur talibus interesse, et quod peccat se ab hujusmodi abstrahendo, eidem etiam populo frequenter exponant, quod ad matricem ecclesiam in præcipuis festivitatibus tenetur accedere, ac illam sui præsentia honorare, a qua sacramentorum gratia in eos quasi ex fontali gurgite influit et descendit, ipsi quoque tunc abstineant ab omnibus allectivis quibus abstrahi possit populus, quo minus ad sollempnitatem veniat suae matris.

In omnibus et in singulis sermonibus etiam brevibus quantumcunque fiat mentio maliciae Tartarorum, sitque illis talis materia proponentium verbum Dei, per quam populus animetur ad resistendum tyrannidi eorum, ac incitetur ad supplicandum Domino pro conversione tam duri et diri flagelli, ac provocetur ad reconciliandum se Deo, Deumque sibi, dignis poenitentiae fructibus, nec non ad reformatum in se ipsis communionem pacis mutuae efficaciter inducantur, ut divinae ulcionis iracundia, contemptu succensa peccaminum, devota poenitentium et in coelum clamantium humilitate placetur. Sed et presbiteri missarum sollempnia publice celebrantes, post offertorium et ante canonem dicant cum præsentibus psalmum, Deus venerunt gentes, cum oratione dominica, versiculo, fiat pax, i. v., et collecta, Deus a quo sancta, deflexis genibus vel prostrati. Sed prius parochiales presbiteri dicant populo in vulgari, poenitentiam agite, et quod interim prosternant se dicentes orationem dominicam, et orient Deum, ut a pestilentia Tartarorum liberet

populum christianum, et dum haec siunt pulsetur campana ex una parte, ut audientes campanam ad devotionem et orationem excitentur, et sic orationes habeant indulgentiam X. dierum. Item in singulis semel fiat civitatibus, praeter moniales, cleri et populi, cum reverentia, devotione et abstinentia, processio generalis, cui exempti et non exempti in civitatibus habitantes intersint ordinis eujusunque, die et loco per ordinarium loci cum consilio cathedralis ecclesiae disponendis. In dyocesi vero abbates et ceteri praelati cum eorum capitulis et conventibus, nec non et singuli sacerdotes per villas in quibus habitant cum clero et populo faciant processionem hujusmodi generalem, die et loco per ipsos prout ipsis expedire videbitur eligendis, nisi ex provisione ordinarii aliud disponatur, die vero processionis hujusmodi jejunent, nisi dies dominicus fuerit vel festivus, et si expedire tunc videbitur, sermo fiat, et qui hiis interfuerint habeant indulgentiam XL. dierum. Item sermo fiat singulis mensibus soli clero in capitulo ecclesiae kathedralis, die et per illum quos decanus ejusdem ecclesiae duxerit eligendos.

Religiosi plerique modum avariciae non ponentes, nec contenti divitiarum fluvio quem absorbuisse noscuntur, accumulando sibi largissima praedia et alios redditus copiosos, ut in os eorum totus Jordani influat, tot suis collegiis cupiditatis studio obtinuerunt uniri parochias et maxime meliores, quod in Alemannia vix inveniuntur ecclesiae, de quibus possint clerici commode sustentari, unde contigit, quod clerici seculares, quorum ordo aliis prior est tempore et potior dignitate, juxta Mycheae praesagium, facti sunt quasi qui colligunt in autumpno post botros racemos vindemiae, et spicas post me-

tentem seu stipulas post triticum, et cum de una ecclesia sustentari non valeant, plures cumulare coguntur, contra statuta concilii generalis. Quare approbatione sacri concilii, communi necessitate cogente, statuimus ut nullae ecclesiae quibuscumque religiosis de cetero conferantur, quod si a quocunque eis hujusmodi ecclesia vel ecclesiae collatae fuerint, collator ipso actu jus patronatus amittat, et ad loci episcopum perpetuo divolvatur, nisi collator illud ab alio in pheodo teneat, ad quem jure transeat potiori, Collegio vero quod talem ecclesiam accep- taverit, nullum jus penitus acquiratur, imo si habuit ecclesias alias ante sibi unitas in dyocesi illa, vacent post receptionem hujusmodi ipso facto, et per dyocesanum vel locorum archidiaconos personis idoneis conferantur. Ad haec cum religiosi quidam alicubi per fratres sui ordinis officient ecclesias sic unitas, et id fratribus ipsis sit dissolutionis occasio, quia iidem eo sunt procliviores ad lubricum, quo ex religionis titulo stulte autumant se exemptos, ac per praelatos eorum et archidiacaonos tales minime corrigi patiantur, sed quasi pro ordinis scandalo evitando ipsos ad domos suas revocant, vel ad alias parochias mittunt, Auctoritate hujus scilicet concilii et hoc duximus annectendum, ut religiosorum ecclesiae non per fratres eorum officientur, sed per clericos seculares, ut saltem de immensa religiosorum mensa requiis quae ceciderunt sustentari valeant pauperes sacerdotes, qui in vituperium ministerii nostri publica egestate laborant, ita ut heu sint verissima illa verba Jheronimi dicentis in canone, Mendicat infelix clerus in plateis.